

Reverendissime ac optime frater:

Equidem pro eo quanti maximam tuam in me benevolentiam facio, de omnibus rebus, quae in sacrosancto Tridentino Concilio agerentur te quam primum certiorem facere jampridem decreveram. Verum enim vero a te etiam superioribus litteris rogatus, rem pene in humanam me facturum judicarem si te ijs nuncijs defraudarem quare ne te amplius morer ad id veniam quod maxime te scire velle arbitrabor.

Credo te causas non latere, quibus adductus pontifex maximus hujusque concilij celebrationem procrastinaverit, eas igitur non exponam. Cum itaque jam omnibus bellis pacatis rebusque omnibus in tranquillo positis tempus adesse demum senserit in quo nihil sanctos hos conventus disturbare potest, celeri gradu cursorem ad amplissimos legatos: quos ad hanc rem peragendam pontificia potestate Tridentum miserat, dirigit qui tertio idus Decembbris ad eos pervenit, pontificisque mandata exposuit, quibus significabatur idibus Decembbris, solemnii pompa concilium, Deo annuente, ac favente auspicandum esse. Quare omnibus Christifidelibus jejunium per triduum indicetur, supplicationesque Deo optimo maximo fierent, quibus placatus Spiritum Sanctum suum e coelo dimittere in fidelium pectora dignaretur quo aspirante que ad publicam dominici gregis, ac orthodoxae fidei utilitatem pertinerent, decernerentur. Quare nunciata, tantum omnes omnis generis homines gaudium cepit, ut pre letitia gestire mundus ipse totus videretur.

Igitur per publicum preconem pontificis mente declarata, populum universum ad preces et jejunia hortantur. Qui quidem alaci animo man-

data exequitur. Jamque dies divae luciae sacer illuxerat, qui idibus Decembris fuit in quo ab ecclesia christianis, verba illa Pauli proponuntur. Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete, modestia vestra nota sit omnibus (*I v.*) hominibus, et cetera quae divinus ille vir ad Philippen-ses scripserat.

Idemque dies dominicus erat tertius ab eo, in quo adventus servatoris nostri christiani recolere incipiunt. Quare ut revera respublica christiana in Christo gaudere, tres amplissimi, ac illustrissimi pontificis legati illustrissimus princeps ac cardinalis et episcopus Tridentinus, ac omnes epis-copi qui tunc tridenti convenerant, quos inferius recensebo multisque allis doctissimis, ac probatissimis viris comitantibus, toto simul hujus urbis clero, religiosisque viris omnibus Deo petentibus, ad templum divo vigilio dicatum, idemque in hac civitate omnium augustissimum sacerdotalibus vestibus induiti, ac mitris albis tempora redimitti longo ordine, crucis vexillo, quo legatorum autoritas ostendebatur, preeunte processerunt ubi, in loco prius ad id parato, decenterque ornato, sacra divino spiritu car-dinali de Monte legatus, pio sane animo fecit.

Is enim et senior, et majori dignitate ornatus, legatos alios ante ibat, ut qui preneste episcopum gereret. Postquam vero eucharistiae sacramen-tum Deo optimo maximo obtulit, clara voce plenariam: ut aiunt, indul-gentiam, omnibus adstantibus, a pontifice maximo concessam pronun-ciat. eosque crucis signo munivit. Quibus rebus peractis, episcopus Bitontensis, orationem ad patres habuit, qua eos ad concilij celebrationem hortabatur. Deoque optimo maximo gratias agebat, eumque toto corde orabat, ut illi adesse, ac favere non abnueret quae adeo elegans, adeo omnium doctrinarum genere referta, atque ornata fuit, ut omnes in admir-ationem induxerit.

Quam ego si id abeo impetrari potero ad te quam primum mittam. Hac igitur oratione, ab omnibus mirum in modum laudata, postquam ille in episcoporum ordine consedit, omnibus ante altare, Deo optimo maximo erectum, flexis genibus, capitibusque apertis cardinali de Monte preces quasdam Deo pro sancta synodo, fudit deinde ut caelestium chorus uni-versus benignus favensque adesset, preces (*2*) illas, quas graeco voca-bolo litanias vocant, alta voce, templi sacerdotes cecinerunt. Cum vero ut ventum est, ubi dici consuevit, ut dominum apostolicum et quae sequuntur.

Idem cardinalis de Monte ante altare erectus, clara voce, inclamavit. Ut hanc sanctam synodum regere et conservare digneris cui omnes epis-copi responderunt: Te rogamus audi nos. His itaque verbis ter repetitis, genua iterum cum alijs flectit, litaniaeque ad finem ab alijs perducuntur, quibus silentibus, subserviens ille, quem graece diaconum vocant, illud evangelicum legit, ubi ostenditur Christum septuaginta duos alias disci-pulos sibi assumpsisse, eosque per diversa mundi loca Dei verbum disse-minare jussisse, deinde nonnullis precibus dictus cardinalis de Monte Deum orans tandem hymno illo decantatissimo, simulque pulcherrimo,

qui incipit *Veni Creator Spiritus* (1) etc. Sanctum Dei Spiritum alta voce invocabat, quo a templi sacerdotibus absoluto, Deum novis precibus orat.

Postmodum omnibus, locis suis, sedentibusque episcopus Feltrensis diploma legit in quo concilij ultima indictio ostendebatur, causaeque suspensionis, ac translationis primum enim Mantuae, deinde Vicentiae, postrem Tridenti semel et iterum indictum fuerat declarabantur. Mandatum deinde exhibuit, sive bullam (ita enim vocant) quo pontificia potestas Joanni Mariae de Monte episcopo Prenestino Marcello Politiano tituli Sanctae Crucis in Hyerusalem presbytero Reginaldo Polo Anglo tituli Sanctae Mariae in Cosmedinense diacono cardinalibus sanctae romanae ecclesiae Tridentino Concilio praesidentibus, a Paulo tertio largiebatur.

Post haec cum optimus vir Jacobus a Mendonza Caesaris ad concilium orator Venetijs gravi morbo implicitus detineretur, litteras ad sanctam synodum miserat, quibus se apud eam excusatum voluerat, protestabaturque per Caesarem non stetisse quominus per procuratorem vel legatum suum concilio adesset. Quibus perclarum virum dominum Alfonsum Zorillam ostensis, ac per publicum scribam Claudium dela Casa, lectis patentes litteras, idem dominus Alfonsus exhibuit, quibus dicto Jacobo, a Caesare summa auctoritas (2 v.) demandabatur, cui ut examinarentur postulanti cardinal de Monte, patrum nomine respondit, id in aliud tempus differendum esse cunque id omne quod in eis contineretur diligenter perpensum esset, tum ei quid sibi videretur responsuros.

Cum igitur nihil amplius reliqui esset, quod ad concilij celebracionem pertineret. Praedictus cardinal de Monte, brevibus verbis, sed me hercle elegantibus, ac doctissimis, patres omnes hortatur, ut simul cum Christo gaudeant eiusque congratulatur. deinde suadet ut omnibus viribus ad publicam ecclesiae utilitatem mentem, animum, ac vires omnes intendant. Quos cum ad id peragendum, alacres, ac animatos, cerneret, eos interrogat jubeant, velint ne sacrosanctum generale concilium universalem Dei ecclesiam representans eo die initium sumpsisse, ac summere quod omnibus sibi summopere placere afirmantibus, eos iterum interrogat, an septimo idus Januarij proximi dies satis idoneus videatur, in quo prima concilij sessio celebretur, quod omnes uno verbo placet confirmaverunt.

Gratijs itaque a legatis patribus de eorum voluntate factis Hercules Severolus Faentinus procurator fiscalis petijt, de ijs omnibus rebus quae eo die in concilio acta essent: per publicos scribas, chirographum fieri. Aque hic finis fuit rerum omnium quae ad Concilij Tridentini aperitionem, ut vocant concernebant, quaeque patrum antiquorum more alias in concilijs agi consuevere adfuere his rebus quas tibi longiori ac ineptiori stilo quam tuae aures exigegeant (*sic*) narravi primum dominus Franciscus Castelalt et dominus Antonius Cueta oratores regis romanorum quidam monachus seu frater ordinis praedicatorum prolegatus regis Lusitaniae archiepiscopus Aquinensis et episcopus Agatensis Galli epis-

(1) *No ms.*: *episcopus*.

copus Jaenensis episcopus Astorigensis episcopus Pacensis Hispani episcopus Sancti Marci episcopus Caput Aquinensis Neapoli episcopus Lantianensis episcopus Stabinensis Hyspani sed episcopi civitatum in regno Neapoli archiepiscopus Panormitanensis episcopus Siracusanensis siculi archiepiscopus Wpsalensis Gothus archiepiscopus Amazacanensis scotus episcopus Synodiensis Maguntinus episcopus Wigormensis. Anglus episcopus Hipporigensis episcopus Cavensis episcopus Feltsensis episcopus Aquinasensis episcopus Relicastrensis (3) episcopus Fesulanus, episcopus Tremulensis episcopus Bitontensis episcopus Clodiensis episcopus Bertoniensis, qui omnes sunt numero XXV relichto ilustrissimo episcopo Tridentino cujus superius mentionem feci.

Praeterea dominus Sebastianus Bighinus Ragiensis Rotae auditor dominus Hercules Severolus Faventinus concilij procurator fiscalis. Praeter hos etiam haeteriarcae, quos hodie generales vocant, scilicet haeteriarca sodalitij ordinis minorum ordinis Sancti Francisci de observantibus, ordinis heremitarum, ordinis servorum, ordinis Carmelitarum.

Hos omnes igitur in hac prima solemni celebratione, quam reservationem vocant, fuisse annotatione dignos comperui.

(B. R.)